

*querere* (cum enim careat libertate, nequit quamdiu durat, cessare ab agendo, ubi adsunt omnia requisita), et consequenter resistet, quantum valet, agentibus externis, quæ conentur illud a tali fine divertere, vel in alium finem contrarium propellere. Sic ignis, si coram adsit lignum vel quodvis aliud flammæ fomentum, nec Deus miraculose præpediat actionem illius, non poterit non calorem suum exercere, ac pro gradu caloris inflammabit lignum, faciendo, ut illud combinetur cum aeris oxygenio, nec quamdiu ignis extinguatur, a tali exercenda actione, talive prosequendo fine detinebitur. Habet ergo ignis veram spontaneitatem ab egregio scriptore descriptam, atque adeo vitam. Cum itaque consecraria ista nequeant omnino admitti, retinenda est definitio et explicatio vitæ ab Angelico aliisque innumeris Doctoribus tradita, qua nulla melior hactenus fuit ab humano ingenio excogitata.

### ARTICULUS III.

#### De variis viventium gradibus vitæque divisionibus.

Tria genera  
viventium,  
eorumque  
majoris minoris  
perfectio

15. Tria genera viventium vulgus hominum distinguit, *plantarum, animantium et intelligentium*. Ad iudicandum autem de majori aut minori excellentia in variis vitæ gradibus, hæc optima regula est, ab Angelico Doctore tradita: cum vita consistat in eo quod aliquid *se* moveat, vel agat ad operationem sibi immanentem, eo perfectius erit vivens, quo magis *se* moveat, vel quo plura *in se* et *a se* habeat eorum, quæ ad suam immanentem operationem spectant. Jam in huiusmodi operatione tria spectari possunt: finis, propter quem agentia *se* movent, vel immanenter operantur, forma, secundum quam *se* movent, et executio ipsa motus vel operationis. Vivens ergo, quod habeat hæc omnia *in se* vel *a se*, profecto perfectius vivit, quam quod non omnia aut unum dumtaxat habeat.

Atqui plantæ sola gaudent executione motus immanentis ex fine ac forma virtuteque naturaliter sibi extrinsecus indita; animalia formam etiam aliquam sibi parare possunt, quæ actiones quasdam determinet, licet finem

semper a natura præfixum habeant; entia demum intelligentia pæterea præstituerè sibi possunt finem suæ actionis. Ergo plantæ quidem infimum, animalia medium, supremum vero tenent gradum vitæ substantiæ intellectivæ.

Et re quidem vera plantæ, ut mox demonstrandum erit, virtute gaudent *se* movendi, nec solum ab extrinseco motum accipiunt, sed vere *se* agunt ad operationes vegetativas. At vero nihil aliud ipsæ *sibi* comparare possunt virtuti naturali superadditum, quo ad actionem ullam immanentem juventur, ac determinantur; ideoque habent a natura propria omnino determinatas omnes operationes suas, et formam per quam agunt, et finem propter quem agunt. Animalia autem, cum præter vegetationem prædita sint etiam sensatione, ut nunc supponimus, possunt sibi proprio Marte acquirere formam aliquam, quæ determinet quasdam eorum actiones. Etenim ipsa sensatio forma est, quæ appetitiones ipsorum et motus locales determinat; siquidem quid bruta debeant appetere, et quorsum tendere, non est sibi a natura impositum, sed determinatur per formam sensu acquisitam, nimirum per cognitionem, quæ appetitiones ipsorum motusque locales dirigit. At quamquam formam quidem, quæ principium sit motus sui, ipsa per sensum acquirant animantia, finem vero non possunt sibi figere, sed præstitutum habent a natura ipsa. Cum enim rationem finis minime cognoscant nec proportionem mediorum ad finem, intendere propriæ finem nequeunt, sed aguntur ad ipsum naturæ instinctu, posita apprehensione sensui objecti alicujus, quod bonum ipsis sit et conveniens. Itaque longe perfectius vivunt substantiæ intellectivæ, quæ nec formam nec finem suæ operationis accipiunt extrinsecus. Cum enim rationem boni ac finis cognoscant mediorumque ordinem ad finem, possunt sibi particulares operationum suarum fines proponere; unde *se* movent ad finem a *se* intentum, per formam seu cognitionem a *se* habitam, ex virtute *naturaliter sibi* indita.

Verum adhuc in ipsis intelligentibus plures notari possunt varietates in vitæ perfectionibus. Etenim intelligentiæ creatæ generatim in multis deficiunt a purissima vitæ perfectione, quæ in increata intelligentia, Deo, relucet. Nam



substantiæ creatæ intellectivæ, 1.<sup>o</sup> quamquam sibi fines aliquos præstitueri possint, non tamen ultimum et universalem omnium operationum, hunc enim impositum sibi habent ab Auctore nature. 2.<sup>o</sup> Deinde etiam in ipsis finibus particularibus, quos intendunt, est aliquid extrinsecum, a quo moveantur, ipse nimirum finis objectivus, cuius bonitate alliciuntur. 3.<sup>o</sup> Præterea formam ipsam seu cognitionem non habent omnino ex sese, verum partim ex virtute intellectiva, partim ex specie intelligibili impressa, aliunde hausta. 4.<sup>o</sup> Quarto adhuc posita specie intelligibili, actualem ipsam intellectionem ac finis actualem intentionem et quamlibet appetitionem elicere nequeunt sola sua virtute, sed Deo simul concurrente ac cooperante. 5.<sup>o</sup> Demum ipsam naturam et virtutem operativam immanenter ac virtualiter non habent a se, sed acceptam a Deo, rerum omnium Creatore. Vides ergo, ex quot capitibus vita intelligentium creatorum non possit esse pure et perfecte ab intrinseco, sed partim ab intrinseco et partim ab extrinseco. Solum ergo in Deo est perfectissima et purissima vita, quippe qui habet *in se et a se* naturam et formam et finem et actum, et omnia hæc identificata, ut idcirco non sit solummodo *vivens*, sed *vita ipsa subsistens* semperque actuata sine ulla potentialitatis admixtione, quemadmodum declaratur in *Theologia*. *Illud, cuius sua natura est ipsum ejus intelligere*, inquit S. Thomas, *et cui id quod naturaliter habet, non determinatur ab alio; hoc est, quod obtinet summum gradum vite. Tale autem est Deus* (1). Alium modum colligendi varios viventium gradus ex vario gradu elevationis supra materiæ virtutem, quam præ se fert operatio vitalis, lege, si lubet, apud eundem Aquinatem (2).

Tota hæc doctrina lucidissime a Doctore Angelico exponitur in utraque *Summa*, cuius loca, quia longiora sunt et facile in ipsis operibus legi possunt, hic excribere nolumus (3).

(1) 1. p. quæst. 18, art. 3: qui lucus quia longior est, hic non excribitur, integer autem legendus est.

(2) S. Thom., quæst. de *Anim.*, art. 13, Cfr. 1. p. quæst. 18, art. 1.

(3) Vide 1. p. quæst. 18, art. 3, in corp. Cfr. 1. p. quæst. 78, art. 1; et *Contr. Gent.* lib. 2, cap. 59. *Item ubi inventur*; lib. 4, c. 11 initio. Vide Valentia et Tolet. in 1.<sup>æ</sup> p. quæst. 18; Sylvest. Mauri, lib. 4, quæst. 22.

Porro pro diverso viventium gradu diversos distinguit S. Thomas *modos vivendi*, nempe *vegetativum, sensitivum, locomotivum et intellectivum*; quibus exercendis quinque omnino genera potentiarum deputantur, videlicet *vegetativarum, sensitivarum, locomotivarum, intellectivarum et appetitivarum*. Qua de re accuratius alibi: consule interea S. Doctorem (1).

Jam ut de divisionibus vitæ ac viventis, quantum satis est ad præsens institutum, aliquid innuamus; vita in primis dividitur in vitam in actu primo seu *substantivæ* sumptam, et vitam in actu secundo seu *adjectivæ* sumptam, quas superius explanavimus.

Secundo vita dispesci potest in *physicam* atque *intentionalem*: illa per realem productionem, hæc per objecti alicujus cognitionem aut appetitionem exercetur. Sola vita intentionali gaudet Deus, sola physica plantæ; utraque reliquæ substantiæ viventes, sive corporeæ sive spirituales, siquidem cognitiones creatæ, quamquam sunt intentionales imagines ac representationes objectorum, veram tamen continent rationem realis ac physiciæ productionis (2).

Tertio vivens aliud est vegetativum, aliud cognoscitivum; et quoniam cognoscitivum, subdividitur in sensitivum et intellectivum, ideo hæc divisio convenit cum illa alia trimembri in *vegetativum, sensitivum et intellectivum*. Vegetativum est, quod vita vivit pure physica; talia sunt plantæ. Sensitivum est, quod se movet per actus intentionales (sive cognitionis sive appetitionis) materiales, cujusmodi sunt animalia; et intellectivum, quod se movet per actus intentionales (sive cognitionis sive appetitionis) immateriales, ut Deus, angelus, homo quoad vitam rationalem. Tria hæc membra non sunt necessario distincta realiter secundum suppositum, cum triplex illud genus vitæ possit in uno eodemque subjecto reperiri: quamquam enim Deus et angelus sint intellectivi dumtaxat, et planta solummodo vegetativa; sed brutum est vegetativum simul et sensitivum, et homo vegetativum, sensitivum et intellectivum.

(1) S. Thom. 1. p. quæst. 78, art. 1.

(2) Cfr. Lossada, loc. cit. num. 33.

Vita purissime  
in solo  
Deo inest.

Quatuor viventium gradus,  
quinque genera  
potentiarum  
vitalium.

Varie divisiones  
vitæ.  
Vita in actu  
primo et  
secundo.

vita physica et  
intentionalis

vegetativa,  
sensitiva et  
intellectiva.